

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Confutatio quarundam calumniarum, In Nonnullis scriptis, imprimis
Programmatibus non ita pridem Gryphiswaldiae editis, contentarum: ubi simul
Auctor eorundem acerbitatis, superbiae & conscientiae cauteriatae convincitur**

[S.I.], 1728

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815699301>

Druck Freier  Zugang





28. m. 28. m.

Baa - 1060.

19.96

CONFUTATIO

quarundam calumniarum,

In

Nonnullis scriptis, imprimis Programmatibus non ita pridem Gryphiswaldiæ editis, contentarum;

ubi simul

Auctor corundem acerbitatis, superbiæ & conscientiæ cauteriatæ convincitur.

A. C. 1728.

No. 3

CONFITATION

discretissima calmaria

in

Nostri filii Iosephus, inquit Ptolemaeus
per non nisi pietatem. Quodque satis est
discretissimum;

in idem

Vulgo corundum sapphirus, libyptis & confitatum
carrubius coralligerum

8271 C. 4.



I. N. J.

IN hoc depravato & exulcerato seculo, proh dolor! multis ambitiosos
eosque tamen ridiculos, & vanissima superbia stolidos homines re-
perire licet, qui cum nullum plane in alios, honore & dignitate
ut pote æquales, ipsis competitat jus, nihilominus tamen illorum re-
ctores esse volunt, illisque non ut ingenuis imperare, sed quasi
in mancipia dominari præsumunt, suisque in scriptis id unice agunt,
ut pios & innocentes & stolidæ atque iniquæ ipsorum dominandi libidini
se masculine, ut oportet, opponentes, mendaci atque venenato calamo fal-
sisque imputationibus, nominis fama atque existimatione privent, & in
vitæ etiam, quantum in ipsis est, sæpen numero & honoris periculum con-
jiciant. Speciosis quidem & sanctis titulis tractatulos & chartulas suas in-
scribunt, nil nisi pietatem erga DEum, modestiam, pacem & concordiam
spirantibus, quæ tamen unicè ad odium & invidiam, variis iisdemque pu-
tidè confictis mendaciis proximo conflandam, atque ad omnium contra-
ipsum arma concitanda spectant: dum inanibus sermunculis quoscun-
que in innocentes aculeos, detestanda & scurrili libidine conjiciunt, &
quicquid ad minuendam proximi dignitatem videri poterat quicquam
conferre, magna licentia & temeritate pudenda effutiunt, quo indignatio-
ni & imperiose ambitioni satisfaciant, quæ rerum humanarum perturba-
trix & bellorum incitatrix est, illis similes philosophis, quos ait Tullius,
in his ipsis libris, quos scriebant de contemnda gloria, nomina sua cum
ambitiosis titulis inscripsisse, atque ex gloriæ vituperio, gradum sibi viam-
que ad gloriam fecisse, quorum ridiculorum hominum vanissima insolentia,
cui tandem incognita esse potuit? Sic etiam Hi multum de pace cum
Deo et proximo scribunt & papyrum atque chartam collutulant, nihil ta-
men revera agunt aliud, quam ut probos injuriis & calumniis Diabolicis
afficiendo, ipsisque inimicos excitando, omnia turbent & misceant, sub
pacis & mansuetudinis specie & obtentu, morum pravitatem occultando,
Diabolum imitando, qui technastexendi callidissimus, easque exercen-
di promtissimus, nunquam non adversus eos, qui fidei veræ, & erga DE-
um pie, erga proximum juste, erga se ipso sobrie agendo; vitæ sinceræ
sunt,

sunt, inimicos excitent fraudulenter, & foveant truculenter. Comprobatum alias vetustate non unius philosophi monitum est: Philosophiam omnium trium (quas nominare solemus Superiores) Facultatum Cultoribus & Professoribus inservire. Sic Theologia excipit Metaphysicam, Juris Consultus Ethicæ vestigiis insitit; Medicus incipit, ubi Physicus desinit. Quamvis autem Philosophiæ usus per reliquias disciplinas latissime se extendat, maximaque ubertate se diffundat, sit tamen hoc cum aliquo discrimine. Sublimiori Theologiae destinatum, naturali indigere Theologia & notitia Metaphysices; In Medico requiri, antequam is se Hippocratis auditorem profiteatur, naturalis Philosophiæ notitiam, tam notum est, quam quod notissimum. Juris Consultus de utraque juris scientia recte sponsurq; & quicunq; aliis officio suo in omnib; rite defuncturus inter alia quam maxime rerum moralium subsidio summe opus habet, ita ut propria vitia ante intimius cognoscere valeat quam aliorum taxare inepte & temere præsumat, ne nimiis (ut fieri videmus) affectibus obphilautias & intolerabilis arrogantiæ magnitudinem abreptus, turpissime se omnibus Sapientibus & æquis rerum æstimatoribus det, risuque se & ludibriis aliorum in propriam sui ignominiam misere exponat, propriæque Personæ suæ Characterem, & quam impotentissimi animi homo sit, non sine commiseratione aliorum, quod tamen alias Viri Sapientis non est, manifestissimè prodat, ut adeo ipsi occini jure merito illud proverbium veriverbum possit: *Proprium stultitiae est, aliorum cernere vitia, oblivisci suorum.* Si vero est stultitiae, aliorum cernere vitia, & oblivisci suorum, putabimusne, illum supremum stultitiae gradum ascendiisse, qui aliorum benefacta pleraque vituperat, & odioso vitiorum nomine suggillat, suorum autem vitiorum & facinorum etiam in hominum oculos incurrentium & ita manifestorum ut omnium admirationem mereantur, non solum oblitiscitur, sed etiam eadem pro bonis operibus venditat, seque pro mero Sancto reputari vult, ita ut vix creditibilis sit tanta in homine, qui Christianus & Sanctus videri vult, mentis cæcitas, & voluntatis obstinatio, quæ sibi falsam & scientiæ & sanctitatis persuasione induit. Dudum est, inquit B. Mayerus in præfat. *Commentationis de Pietatis veteris Ecclesiæ*, ex quo moralium Doctoribus oculi doluerunt, quibus conspicandum invitissimum fuit, Virginum ornata scorta superbire, nominibusque virtutum vitia condicorari; nec nunc demum philologorum percepta fuit querela, quod genuinæ rerum vocabulajam pridem amiserimus. Deplorandum est, sacris quondam Magorum & justitiariorum titulis, fucatae sapientiæ & perversæ justitiæ Institores & ministros; supra mensuram humanæ sapientiæ tumentes,

tes, & ob inanem dominationis affectationem, omni turbido motu vacantes, pacis, concordiae, & compositionis Auctores & amatores; mancipia Satanæ, jura divina & humana permiscentia, consilioque ac auctoritate sua omnia turbantia, animoque & vultu efferato non nisi minas spirantia, inclyta & mansueta nomina insigniri, magnoque in pretio haberi. *Hinc sit non raro, inquit Salvianus Lib. I. de Gubernatione, ut David esse velit, qui Saulem tyrrannide consecratur, Martyr, qui est allotrio Episcopus, Johannes Baptista, qui est pharisæus.* *Hinc sit, ut cœci sint, qui sibi sunt visi oculatissimi.*

Perversum inflatum & inficetum hominum genus hodie reperitur, quod Donatistarum mores protertos & tumidos depingit, singularem vitæ sanctimoniam præ se ferens, ut de illo merito, quod Optatus Milevitanus Sec, IV. Pater Lib. II. de Schismate Donatistarum, de his scripsit, usurpes: *Tractatus vestros ad injurias nostras explicatis, quia vobis specialem sanctitatem de superbia a vendicare contenditis; ille vobis videtur Christianus, qui quod vultis, fecerit, non quem fides adduxerit:* & Lib. IV. p. 121. *Nullus vestrum est, qui non convitia suis tractatibus & scriptis misceat; tractatus vestros et scripta ad nostras injurias explicatis; Quicquid profertis, fratri injuriam facitis.* Certe non aliud contumeliae genus est, quam quo illud hominum genus, nova pietate & sanctitate turgens, hodie probos bonosque afficit, cum perquam illi familiare sit, in scriptis suis, sive disputatio sit, sive quodcunque programma, innocentes convitiis proscindere, dicacique scribendi genere & aculeatissimis phrasibus petulanter & proterve laceſſere, sine ulla necessitate, ex mero odii in immerentes evomendi pruritu. Videre hoc inter alia licet in nonnullis Disputationibus & Programmatiſ, quæ haec tenus Gryphiswaldiæ prodierunt. Non tangam hoc loco quæ in eis continentur salutari doctrinæ adversa, siquidem illa jam in publicis Scriptis pro merito redarguerunt Viri de Ecclesia Lutherana puriori meritissimi. Quæ inibi extant maledicta in Viros innocentes petulantissime effusa, eadem ex parte iidem Viri Doctissimi castigarunt. Imprimis in Disputatione Dn. D. Gerdesii de pœnis Hæreticorum multa occurunt, quæ temerarie & imprudenter dicta esse videntur, & in favorem Pietistarum prolata, Severissimisque Edictis Regiis Suecicis contraria, qualia sunt: *Quando excusat Theologos, qui multa in Theologia suis propriis verbis enunciant, sicque concedere videtur, Theologum non obligari, ut cum aliis Orthodoxis loquatur, nec cogi eum posse, ut verbis alienis, aut ab aliis praescriptis, necessario mentem suam exprimat, sed Libertate sua uti possit &c.* item quando negat Pietistas esse errorum convictos, & pro Hæreticis civiliter talibus declaratos; item: *Quando de novis sectæ nominib[us] ad invidi-*

am compositis conqueritur. Quando non veretur scribere: Hodie omnes pios & pie-tati verè & sincerè addictos, propterea invidioso nomine Pietistarum traduci. Quando damnabilem vocat privatorum licentiam, qua velint Pietisticos errores denuntiare, quoniam offici ratio eos in communionem juris non admittat &c. Ta-lia non solum in conflictu, uti rumor est, studiosus quidam Juris Nobili Doctissimus ex merito perstrinxit, ad Edicta Regia provocans; Sed ea-dem quoque & alia plura publice sunt refutata ab Aug. Ludolfi, qui anim-adversiones ad dictam Disputationem edidit; & quam ignarus Dn. Au-tor Disput. rerum Theologicarum sit, ostendit. Magis autem adhuc ea-dem sunt diluta ab Antonio Dræsen in Tractatu, quem inscribit: Der Pie-tisten zu Greifswald Triumpf ohne Sieg, in Erwiegung einer daselbst gehaltenen Juristischen Disputation de pénis Hæreticorum. Nec minus ab Au-tore der ganz unvermuhteten und schleunigen, jedoch wohlgegründeten Gedancken von der Straffe, welche die Patroni derer Bezer, so denenselben überhelfsen, und vertheidigen, nach denen Rechten zu gewarten haben. Ut illud proverbium: Turpe est Doctori, cum culpare darguit ipsum, huc qua-drare optime dixeris, quod docetur in Dialogo Germanico mox citando, ubi Auctor programmati, quo indicitur Oratio Dn. D. Scheffelii, ex me-rito taxatur, quod aliis inscitiam expobret, eisque egregiè præscribat re-gulas, in scientia quam profitentur observandas, quas tamen ipse turpi-ter neglexerit, quando in Disputatione de pénis Hæreticorum, Theolo-gica tractare temere ausus fuit, quæ tamen sunt supra captum, quo ipso commisit, quod in programmata in aliis reprehendit, qui, quando ag-grediuntur doctrinam sibi ignotam, plerumque per inscitiam turbas cir-ca eam movere soleant, ex vero pronuncians, ejusmodi multiscientiam tam facile stultum quam Sapientem facere. In ejusmodi vero conatus temerarios, quando JCtus controversiis sacris ore calamoque se admis-cre incipit, & convitia in immerentes effundit, merito serio animadverti deberet, si quidem non fas est, ut tale in se suscep-tum temere Pietista-rum patrocinium impune ferat, cum multum damni, ut mihi relatum, per hoc suscep-tum patrocinium, Ecclesię, Patrię & Academię fuerit il-latum, siquidem isti patrocinio innixi, mox magis magisque sese extol-lere & liberius errores disseminare nihil quicquam extimuerunt. Sed forte erit mox tempus, ubi fuco omni absterto, sui cuique ponetur pre-tium, & quid ab Auctore Disputationis & morum alienorum Censo-re præstitum sit, accurate subducto calculo, computabitur.

Profectò DEus propter tale patrocinium, quando ea ratione ingenii & ætatis vires turbis in Ecclesia per Novatores exortis magis serendis & augen-

augendis, quam sedandis, instruendaque calumniæ prodiguntur, pœnas
 exiget tanto severiores, quo majus & pestilentius extali patrocinio da-
 mnum in Ecclesiam patriam & Academiam redundaverit. Imprimis cum
 neglecta omni pœnitentia, non desinat quacunque occasione data eos,
 qui bonarum partium sunt, ad internectionem usque persequi, & mor-
 daci scribendi genere constanter eos aggredi, chartaque dentata
 dilacerare, eorumque existimationem & famam per obtrectationem
 arrodere. Quæ nuperrime sub nomine ejus edita sunt Programmata,
 injurias atrocissimas continent, & maledicta plura, ut vix credibile sit ta-
 lia à Viro qui pius videri vult, prodire potuisse. Quæ in eis occurunt sa-
 na doctrinæ non conformia, ea recentissime non sine modestia notavit
 & coarguit *Johannes Francisci* in *Dialogo Germanico super nonnulla*
 scripta, inter quæ referuntur tria Gerdesii Programmata, de quibus agi-
 tur p. 49. seq. Hinc supervacuum videri posset, aliquid ad ea adducere,
 præterquam quod ad retundendam contumeliam visum est facere, quo in-
 juria innocentibus facta, luculentius demonstretur. Ad quosnam autem
 digitus intendatur, quando multa convitia & probra in variis scriptis male-
 dico & contumelioso ore evomuntur, obscurum esse non potest. Dudum
 enim est, quod tales homines, inimicos se exhibeant infensissimos iis, qui
 ipsorum partes amplecti recusant, & fortiter se metu re crudelibus hinc
 inde Veterum schismatum erroribus opponunt. Varia autem sunt convi-
 torum genera, quæ cum sociis configunt, ut labem aspergere innocen-
 tibus possint. Cum vero solenne admodum sit his hominibus, ut in nomine
 & invocatione Numinis incipiat & subsistat omne ipsorum nefas; videas eos
 in scriptis suis eorumque titulis de pace cum DEO & conscientia sua mul-
 tum gloriari, quos tamen cauteriatam & recordatione actionum suarum,
 nunquam timore vacuam conscientiam habere necesse est, si blandiri sibi
 ipsis nollent, nec omnem pietatem & timorem erga DEum deposuissent.
 Divina æque & humana jura requirunt & serio injungunt, ut ii quibus talia
 jura tuenda & exercenda supremus Legislator concessit, laboriosissime &
 severissime jus dicant, & miserorum, afflictorum & inopum causam stre-
 nue sine ulla mora agant, eosque à nequissimorum hominum, quorum ini-
 quis ludibriis exponuntur, injuriis & frivolis actionibus liberent. Vidua-
 rum & Orphanorum conditione, nulla datur afflictior & calamitosior, &
 prorsus nil abest, quin sint personæ miserrimæ. Harum vero justissimam
 causam, dudum jam à prudentissimis piissimisque juris divini & humani
 arbitris peroratam & juste decisam, sed quam sceleratissimus & perditissi-
 mus Nebulo ex malevolo animo, inquis artibus & machinis opprimere
 studet, in hujus gratiam ultra annum spatium cum omnium hominum-

ad-

admiratione protrahere, & frigidissime tractare, nullisque lacrymis que-
relis gemitibus afflictorum & injuste oppressorum moveri, ut prompte
justitia exerceatur, sed moras longissimas ducere, usque dum tandem pars
laesa inops, & miseriis cooperta omniq[ue] spe salutis & auxilii orbata, &
mærore defatigata penitus jus suum relinquere cogatur, quod iudicator
iste auctoritati omnium illudens, mente conselerata ac nefaria con-
cupiscit. Hæc inquam, quomodo cum pace erga DEum cum tranquilli-
tate conscientiæ consistere possint, videant isti altæ pacis cum DEO falsi
buccinatores, & caveant, ne in securitate sua carnali sibi blandiantur, &
dum hactenus instar cadaveris aut emortuæ carnis, sensu omni caruerunt,
tandem sed nimis sero aculeos & diviniores immisso stimulos persenti-
scant. Neque enim miserorum & afflictorum, quorum providentissi-
mum Numen defensor est, causas & res ex callido versu quoque jure, sed æ-
qualiter & secundum viam juris ita dijudicari & promte atque expedite de-
cidi oportet, ut nihil loci sit favori erga homines fraudis sceleris per-
jurii plenissimos, & à timore DEI alienissimos, nihil loci sit proprio com-
modo & vindictæ cupiditati. Certe detestanda est & abominanda omni-
bus bonis talis vitæ & juris praxis, quæ pacem cum DEO comitem habere
nequit. Dolent omnes p[ro]i istam oscitantem & dormitantem juris sapien-
tiā, quibus nil tam execrandum, tam detestabile, tamque pestiferum
videtur, quam in causa Viduæ & pupillorum, fumum yendi credulis, &
fucum fieri imperitis, dum sancto nec violabili olim pietatis nomine, nul-
la non scelera & nefaria consilia velari possunt. Si tales securi animi ho-
mines ita agentes, & nihilominus gloria & prædicatione pacis cum DEO &
conscientia sua insolentius sese supra alios efferentes, cogitarent, quam-
falso ducantur gaudio, & quam facile possit fieri, ut sperantes jam amoto
omni metu, interea oscitantes opprimantur! Si cogitarent illud Pauli
Gal. VI. Nolite errare, DEus impune non irridetur. & illud Siracidis: Cap.
XXXV. v. 15. sqq. DEus est judex, & non est apud illum gloria persone. Non
accipiet DEus personam in Pauperem, & deprecationem laesi audiet: Non despici-
et preces pupilli; nec viduam si effundat loquela gemitus. Nonne lacryma Vi-
due ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super elicientem eas? à maxilla
enim ascendunt, usque ad cælum, & Dominus exauditor delectabitur in illis. Qui
adorat DEum in oblatione sucipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propin-
quabit, oratio humilians se, nubes penetrabit, & donec propinquet non cessabit, &
non discedet donec altissimus aspiciat. Et Dominus non elongabit, sed judicabit ju-
stos, & faciet judicium, & foriſſimus non habebit in illis patientiam, gentibus red-
det vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contri-
bules

bulet, donec reddat hominibus secundum aetus suos, & secundum presumptionem illorum. Nec non illud Mosis: *Vidua & pupillo non nocebitis; Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestrae Vidua & filii Vestri pupilli* Exod. XXII. v. 22. sqq. Et qualem porro pacem altam & securam cum DEO colere illos etiam putabis, qui quamvis ipsi forsan hac vel ista in re instantum sceleris sunt puri, ut nullius delicti contra jusjurandum quo publico se obstrinxerunt commissi sibi sint consciit, quia nihil, quod bono publico cedere debuit, per fraudem rapuerunt sibi, nihilominus tamen de delictis aliorum nimis indulgenter loquuntur, in rebus multis ad salutem publicam pertinentibus connivent, & quamvis forte sibi suoque animo nullius talis delicti unquam gratiam faciant, facile tamen alterius libidini malefacta condonant, eaque silentio premunt, modo eos hac ratione in partes suas trahant, sibique arctius unire possint, ut in aliis sibi indulgent, suaque libidini, in dominatione super alios exercenda, in opprimendis piis & innocentibus, iniquae & temere affectatae talismodi dominationi se pro conscientia opponentibus, obsequantur, lenique se patiantur animo, ut quocunque animo libitum est, facere possint. Videas hosce homines, quo laudem inanem captent apud vulgus imperitum, ac si præ aliis in officio sibi conjunctis, conscientiae sua rationem habeant, & boni publici curam enixissime agant, in minimis esse legum tenacissimos & observantissimos & lynce oculatores; in rebus autem majoris momenti quandoque talpa cæciores & parum saepè de salute boni publici curanda sollicitos, aliorum vero privatorum comodis magis faventes, quam bono publico litantes, si alia ratione sua dominationi, quam cum sua affectant familia, ad quam etiam amplificandam firmandam & stabiendam tanquam ad supremam legem omnia referunt, recte consuli non posse vident, id unice summa ope neglecta quoque salute publica, nitentes, ut vel suos materni paternique sanguinis communione conjunctos, vel non alios, quam quos sibi suisque addictissimos norunt, in Collegio, cui assident, Defunctorum in locum surrogare & substituere possint. Cum tamen in omnibus rebus publicis in Ordines & collegia distribuendis, summi Politici maximopere suadeant, in illis recte constituendis id studiose esse observandum semper, ne plures in eis adsciscantur sanguine atque propinquitate conjuncti, nec collegium quoddam corrumpatur. *Cavendum*, inquit Boxbornius Vir in tantum laudandus, in quantum Virtus, doctrina & eximia eruditio intelligi possunt, in Instit. Pol. L. I. C. VIII. 19. p. 66. *Cavendum*, inquit, ne sanguinis gradu propius se invicem tangentes Collegia adsciscantur,

nam hanc plures sed quasi idem videntur, qui quanquam numero plures, pietatis im-
 pulsus & sanguinis arctissima coniunctione in ferendis suffragiis a se invicem vix volunt
 aut possunt dissentire: clarissimum hoc prudentissimi Viri testimonium uti-
 nam tristis experientia quotidiana non comprobaret! Ea porro adhuc
 sunt, prohdolor! tempora, quibus veræ & salutaris pacis Ecclesiæ amato-
 ribus cupidissimis, & divinæ veritatis, hactenus unanimi consensu com-
 probatæ & acerrime propugnatæ, strenuis Assertoribus, dicam impegnisse,
 O immane facinus! pietas & magnum meritum haberi velit, dum scili-
 cet illi, qui pacis quamvis perversæ & DEO exosæ Statores & Auctores au-
 dire volunt, innoxios hodiernos, Ecclesiæ causam adversus Hæreticos,
 Schismaticos, Hypocritasque agentes Viros, calumniis plusquam stygiiis
 onerant, sine fine erga illos sævientes, & maximo despiciatui illos haben-
 tes, eosque de ponte, si modo ipsis vires suppeterent, deturbare, & ab of-
 ficiis removere, omnibusque honoribus exuere anxie cupientes. Nul-
 lo autem convitio magis delectantur, quam quando intoxicos Viros ipso-
 rum machinationibus sese impavido & imperterrita animo opponentes,
 odiosis & ad invidiam conflandam compositis nominibus fugillant, & cum
 ipsis omnium turbarum & rixarum in Collegiis nimia sua arrogantia & do-
 minandi libidine insatiabili, atque innovandi pruritu auctores sint, non
 erubescunt, eos turbulentorum & irrequietorum ingeniorum nomine
 traducere. Non audax modo, sed & atrox & infernalis calunnia est,
 quando ab hominibus novaturientibus, & intemperantissima dominandi
 & se super alios efferendi libidine præditis, omnis culpa turbata pacis, Vi-
 ris innocentibus & veritatis ac pacis ut DEUS novit amantibus, quam-
 vis jugum injusti & DEO exosi dominatus, quem æquales super æquales
 nullo justo titulo anhelant, pro conscientiæ stimulo declinantibus, & im-
 potenti tali dominio subjici nesciis, imputatur: & nihilominus non mo-
 do aures non occludunt tam impudenti calumniæ, sed & assentiuntur
 nescio quo fato. Sed gaudent pii, quod prædestinati sint conformes fi-
 eri imaginis Servatoris sui Rom. VIII. 29. De eo dicitur Luc. XXIII. 2.
 quod tota multitudo insurrexit contra ipsum & accusaverit tanquam subversentem
 gentem suam, quod invaluerint dicentes: commovit populum. Cum B. Luthe-
 ro se erigunt, qui suis Convictoribus & cauteriatam conscientiam ha-
 beantibus Calumniatoribus ita respondet, Tom. VI. Eisleb, fol. 5. a. Ich
 wil, ob Gott wil, ewig leben, und bleiben in Christo unserm Herrn, mit
 welchem ich muß unschuldig leyden solche heßliche, feindseelige Nahmen;
 denn er selbst ist auch als ein Aufführer, Wiedersegner und Erreger des
 Volks gekreuzigt. So muß die Welt dem Evangelio den Schand-Mant
 tel

tel anhangen, immerdar nicht anders denn auffröhisch, und wiedersegig schelten. Das muß denn unser Herr Gott glauben, der alber Mann, und seinen einigen Sohn, sammt allen seinen lieben Heiligen, darüber lassen verdammen, dagegen die zarte Welt, fromm, heilig, und seelig sprechen. Es wird sich aber finden, wenn der Schnee zergcheth. Cedro etiam digna sunt verba ejusdem Lutheri, quæ leguntur Tom. II. Witteb. fol. 105. & huc, paucis mutatis, transferenda. Ich wollte gerne, wenn solche Schwermier ja Gott nicht fürchten wollen, daß sie sich doch für den Leuten ein wenig schämen, und nicht so unverschämte Lügen schrieben: Sie sagen, daß man solle Friede haben, und hören selbst nicht auff, solchen Unfrieden zu stiftten, wie jederman siehet und höret. Ist auch ihre Freude, je weiter es gehet. Quidaliud judicabis de hisce hominibus, qui quacunque occasione data, etiam in scriptis suis leoninam pellem adversus eos ipsis subjici nescios induunt, aculeatius & stomachosius ipsis, quia veritatem defendant, insultantes, se ipsos vero reddentes hoc ipso magis ridiculos. Mirari sane licet spiritum in illis effrenem & maledicum, quando non verentur pessimis ita verbis in innocentes crudeliter senvire, in quo imitantur illum fanaticarum sordium & portentorum plurium Hamaxarium Arnoldum, qui fanaticis & calumniarum plenis scriptis cinnandis incumbens, multa maledicta in Viros optimos petulantissime effudit. Idem nempe faciunt, qui in compilandis & edendis novis scriptis, semper fermentum illud Arnoldinum inspargunt, & sarcastico suggillandi stylo mordacique calamo alias exagitant, eoque ipso mirum in modum sibi placent, idque eò magis, quia ob talia scripta ab hujus seculi hominibus tantopere adamantur, qui gaudent per talia scripta venata Viros bonos, quibus invident, valde affligi, in quo tamen maximopere fallunt & falluntur. Interim non paucos horum hac præsertim tempestate vel piissimos sibi visos, sub speciosæ pietatis & externæ devotionis tegumento incedere videmus, qui tamen ab aliis pietatis causam serio & sincere agentibus, non possunt non pro simulatoribus pietatis haberi. Deprehenduntur prohdolor! inter tales sanctulos phrenetici, qui se in doctrina sanos, & in vita sanctos esse jactitant, foris argi, intus talpæ, festucam in oculo proximi accuratissime videntes, suos illos trabales in se non animadverentes, qui cum in gravissimis peccatis, sibi nimium facile & indulgenter ignoscunt, & in communibus suis erratis ad excogitandas palliationes & excusationes ingeniosi sunt, aliorum tamen judices inclemensissimi, & Censores rigidissimi, intolerabilis sane & contumaciæ atque præsumptionis homines. Si doceri cupias, quo charactere sint cognoscendi in vita; hanc profundissima hypocrisis, & tumor pharisaicus

& contemtus aliorum, partes ipsorum aversantium studium obtrectandi, mentiendi impudentia, rancor & invidia jamdudum prodiderunt, qui rancoreo etiam progreditur illosque abducit, ut non erubescant, ea quæ alias à Viris gravibus honestis & prudentibus, puerilibus nugis & ineptis annumerantur, quæ cum seriis collata vix anicularum digna lucubratione videntur, reipsa, ut *Varro* ait, *tricæ tenelle*, in medium proferre, saltem ut animum ira & nimia indignatione flagrantem expleant & adversarii gloriae obtrectent. Solent enim pueri iræ stimulis agitati, objicere suis consortibus, quæ ex inadvertentia & incogitantiâ quandoque ex ore ipsorum exivere, quorum nec ipsi tamen meminerunt. Sic etiam tales ex invidia, qua nimium laborant, & obtrectandi studio, ea in scenam producunt, & adversariis affingunt, quorum tamen hi sibi prorsus non sunt consciî, vel si forte sunt consciî, dudum doluerunt sine dubio ipsi, quod hoc vel illud verbum otiosum ipsis inconsulte & fortuito exciderit. Indignum vero est Viris Christianis, talia vel nunquam vel ante annos viginti forte semel ex ore alterius audita, post seriam facti licet pœnitentiam, adhuc proximo ad odium ei conflandum objectare & exprobrare, & ut in periculum & discrimen is conjiciatur ex musca Elephantem facere, acrique & exquisito supplicio ea digna judicare, quæ vix verborum castigationem merentur: cum Christianum magis deceret, ea quæ aliquando forte per imprudentiam proximo excidisse animadvertisit, tacite apud se retinere & seponere, & mitiorem in partem interpretari. O vacua ab omni fide atque expertia charitatis pectora! quibus, cum multo plura stultitiae & superstitionis vanæ atque ridiculæ olim ex mentis imbecillis ludibrio commissæ, atque aliorum delictorum crimina & exempla, itidem facile & majori sane jure objici possent, merito illud acclamatur: *Define maledicere, malefacta ne noscas tua, illud usum: parcus ista Viris tamen objicienda memento.* Sed Sapientis est nolle ~~curia~~ ~~curia~~ injuriarum mole, quibus lubens vincitur, & patientiam in gloriam advocat; patientur autem non inviti tales Censores, ut aurem ipsis vellicemus: propter talia pueri vapulant, & qui nondum ære lavantur; speramus vero ipsos ad sanctæ halicunationis exprobationem in ruborem dari posse, si colorem illum livor admitteret. Cogitent interim isti homines, quo regantur Spiritu, vel cuius Spiritus sint filii, non sane Spiritus S. qui amoris & humilitatis est Spiritus, sed Spiritus illius Diabolici superbissimi & impurissimi, odiique & indignationis atque invidiæ erga homines plenissimi, qui tamen in Angelum lucis se transformare, & pietatem atque justitiam egregie atque mirifice mentiri potest, ab omni licet sanctitate & justitia alienissimus. Non possum quin singulorum arbitri-

arbitrium faciam : utrum ne tali homini, qui ob scripta sua à multis hodie ob præsumtam nimia æ auctoritatis, sanctitatis, pietatis, sapientiæ, & amo-
ris justitiae opinionem, ut Diotrepheς quidam in magno pretio habetur,
ipseque primatum in eis gerere amat, adprime conveniat falsum illud Fe-
derici Imperatoris dicterium, quod apud Tagenonem in expeditione
Asiatica Legatis Constantinopolitani Imperatoris, responsi loco est imper-
titus : *Dominus vester sanctum & justum se appellat : Mirabilia est sanctitas & ju-
stitia, que sanctos Viros honestos religiosos benigne conservavit incarcerare (ab offi-
cio removere) & ad mortem usque macerare.* Longe faciat à nobis
D̄eūs talem sanctitatem & justitiam. Putasne per tales homines, supre-
mos sanctitatis gradus, quod multi ejus commatis homines præ-
sumunt, posse ascendi, mihi non est credibile, cum adhuc dum-
ne in infimo quidem hærent. Quoniam autem ficta & picta pietate
& justitiae fuso, orbi imponunt, bonas mentes sæpe seducunt, quo fit,
ut veræ pietatis sanctitatis & justitiae cultui hodie illudatur, ejusque nego-
tium haut parum disturbetur. Olim longe faventius erat pietatis studi-
um, longe major improbitatis hypocriticos & injustitiae abominationis &
horror. Sed postquam pietatis & sanctitatis ostentatio & præsumptio in-
valuit, & sub ipso incrementorum Christianismi prætextu & titulo pessi-
ma quæque sæpe opinio, & tantum non universa errorum fanaticorum
colluvies juventuti propinatur, indifferentismo permultorum animi ita
inficiuntur & occupantur, ut pravis eorum exemplis veri piorum animi
excrucientur. Qui hisce veritatis corruptoribus & dominium affectan-
tibus ac super alios eminere enixe sed impie contendentibus se opponunt,
acerbissima odia in se concitant, turbatorum pacis convitio traducuntur,
quasi tantum piaculum sit, ipsorum jugo non submittere collum, nec ser-
vile cum aliis ingenium esse velle. Stoliditatis & dementiæ censetur,
propter gloriam DEI & propagationem veritatis iras & indignationem
hominum suscipere. Supervacaneum rixandi studium & probrofa contem-
dendi libido objicitur illis, qui de gravis licet momenti rebus, contro-
versias movent. Finguntur logomachiae, etiamsi contentio sit de gra-
vissimis fidei articulis. Cumque in rixarum potius auctores, et eos qui
veritatem quoquo modo corrumpunt, aut arrogantia & superbia sua in-
tolerabili omnia turbant & miscent, atque corruptoribus patrocinan-
tur, animadverti debuisset ; contraria fieri videmus : Quando à pietate
alienum censetur, super doctrinæ capitibus cum quoquam controverte-
re, & necessaria etiam certamina ferri nolunt, sed illi, qui aliorum
errores vi conscientiae, & ex mandato Severissimorum Edictorum Regio-

rum inducti , liberius notant , nefandi hæretificii , ab inquis & ineptis
 plane Censoribus atque ridiculis rerumque imperitissimis æstimatoribus
 præ nimia tamen superbia & opinione scientiæ & sanctitatis turgentibus ,
 postulantur , qui controversias motas partium studio abrepti , & præjudiciis
 misere fascinati , velut inanes liticulas intuentur , nec obscure , si apud ipsos
 staret , quidlibet pro quolibet sentiendi , statuendi , suisque verbis pro-
 priis pro lubitu proferendi , licentiam permittunt , quod merito etiam
 ac corruptissimis seculi moribus derivamus . Illud vero vel maxime dolen-
 dum est , nihil esse tam absurdum , quin applausores hodie inveniat ,
 dummodo à cujusdam auctoritatis famæq; Viro afferatur . Multi hoc tem-
 pore male sanis opinionibus indulgent , & qui inter orthodoxos laudem
 habuerunt , quorumque in Ecclesiam extant merita , veritatem deserunt ,
 novis doctrinis adhærentes , non quod de illarum veritate sint è Scriptu-
 ris convicti , sed quia foventur & defenduntur à Viris , quorum auctori-
 tate capti sunt , à quibus nihil tam imprudenter prolatum tam jejune ad-
 fertum fuit , quin ex tripode dictum esse putent . Ubi illud quoque vel
 maxime mireris , quod illi ipsi , qui tantopere data quacunque occasione ,
 contra præjudicia autoritatis , ut vocant , debacchantur , & ad ravim us-
 que abstinentum esse à præjudiciis clamitant , viderique suis volunt , se
 nihil hominum auctoritati tribuere , eo usque præjudiciis indulgeant ,
 ut suis cum Ducibus in auctoritate aliqua constitutis errare , quam cum
 aliis rectè sentire malint , non raro improbantes sententias , quas nec
 cognoverunt quidem satis , nec explorarunt ; unde sit , ut saepe ab ejus-
 modi pruritu innovandi flagrantibus ingenii , ea proferantur & defen-
 dantur dogmata , quæ nunquam in loco , ubi vivunt , fuere audita & tole-
 rata , sed potius acerrime impugnata . Multi exortis ejusmodi novitati-
 bus & motibus quieti sedent , nullamque vel exiguum Ecclesiæ misere-
 afflictæ aut boni publici curam in se suscipiunt ; errores periculosos , sive
 publice sive privatim aliove modo refutare , motusque & turbas è pruri-
 tu libidinis imperandi ab hominibus intolerabilis superbiæ excitatas , se-
 dare & in herba suppressare , aut ipsorum conatibus resistere nolunt , cum
 possunt & debent ; Disputantibus & contendentibus simulate & externo
 habitu pari humanitatis & amoris testificatione occurunt , scripta vene-
 nata & mordaci stylo famam innocentium lacercentia , cum possunt , non
 duriter reprehendunt & impediunt , sed scribillatoribus eadem promis-
 cue imprimenda distribuenda & decantanda concedunt , eoque ipso iis se
 delectari , quia proximum , cui invident , dilacerant , & confodiunt , ma-
 nifesto produnt , quæ tamen ut βδέλυγμα oppugnare & execrandæ super-
 bix

dia fructus supprimere , pro officii , quod gerunt , ratione , & ex mandato superioris tenebantur ; sed cum opera sua facile tanto malo mederi possent , nolunt , sed potius silentio suo favorem majoris partis aucupari & moderationis laudem ambire , imo egregie potius cum ipsis colludere malunt . Bonæ causæ assertores & veritatis atque pacis bonique publici amantes , quando talia vident , non possunt non , ne quid detrimenti salutaris doctrina capiat , pro conscientia , cum alias vires desint , monere & noxia detegere . Si vero novorum dogmatum Disseminatores ab erro-neis doctrinis spargendis & propugnandis , & à conatibus bono publico noxiis , desistere nolunt , præjudiciis suis tenacissime inhærentes , & arrogantiæ suæ litantes ; veritatis defensores & boni publici cupidissimi , ad novos ejusmodi errores liberius castigandos & notandos conatusque saluti publicæ contrarios infringendos se conferunt , ægre ferentes , & ex animo dolentes , pacem & quietem Ecclesiæ ita novis erroribus exortis & disseminatis disturbari , bonumque publicum consiliis noxiis interverti . Quid vero inde præmii reportant , quando ita afflictæ Ecclesiæ , ac labo-ranti veritati nec nō salutiboni publici periclitanti pro conscientia succurrunt ? plurimorum nempe odium incurunt , turbulentorum Hæretificum & tumultuosorum ingeniorum nomine , indigne & execrandum in-modum exigitantur . Ipsi errorum patroni & Defensores , & pacis tam sacræ quam civilis turbatores quando animadvertunt , putidissimos suos errores & conatus noxios perstringi & notari , saniora docentibus & sua-dentibus cedere nolunt , sed ira plus quam infernali excitati , omnem-bilem in Viros innocentissimos evomunt , nec ab insectationibus acerbissimis sibi temperant , omnemque culpam motuum , crassa & temeraria audacia in eos derivare conantur , qui tamen nil nisi pacem Ecclesiæ & salutem boni publici querunt , & ut jura singulorum sarta tecta & illibata maneant , ac insanæ & insatiabili dominandi & super æquales eminendi libidini obex ponatur , anxiis quotidianis suspiriis & desideriis exoptant , DE-umque propterea precibus fatigant . Mirari vero subit animum ingenuum , dari homines , quos insolentia & nimia estimatione sui elatos & infensissimo odio incensos , Diabolus , gubernatrice mente abrepta janua-que vitiosis animi affectibus patefacta , eo furoris & dementiae impellit , ut vultu licet & factis externis simplicitatem & mansuetudinem præ se ferant , odium tamen in proximum evomant , dum ipsos innocentes tanquam maledicos convitiatores & Satanae satellites accusant , quod non abstineant mortuos dudum incineratos maledicta proscindere , eos malilo-guiis inquietare , simulque panarum minas ob crimen nefandum ad

admissum ipsis denuntiant ; suos vero Nepotes ejus criminis , quod ita innocentibus temere & audacter intentant , quam maxime & manifestissime reos , dum pie defunctos Antecessores & sanctos Viros criminacionibus acerbissimis in scriptis suis insectantur , ne verbulo quidem increpant , sed ut homines potius Sanctos summis laudibus extollunt , ut tales qui sanctitate præ aliis eminentes vel portionem sanctitatis suæ tanquam superfluam largiri aliis possint , (quod scribere & asserere non erubescunt) O cæcos criminandi cupiditate animos ! O superciliosos alienarum rerum Censores , qui acuti & lyncei sunt in aliorum vitiis taxandis , in suis vero suorumq; vitiis cernendis ipsa talpa cæciores , omnisque generis vitiorum internum hominem misere depascentium & consumentium sedes & propugnaculum facti . Qualem autem sortem putabis sibi promittere posse illos Satanæ satellites (utor verbis Censoris) qui non erubescunt nomine Calumniatorum traducere omnes illos summos pie in Domino defunctos Theologos & adhuc viventes , qui mascule sese Novatoribus Ecclesiæ , in specie Spenero & Breithauptio opposuere , ipsisque plusquam temeraria audacia imputare , quod falsa dogmata , in his notata confinxerint eo fine , ut Viros pios & Orthodoxos scilicet calumniarentur ; item qui non ventur adserere & juventuti inculcare , orthodoxos defunctos Theologos Lutheranos , novis sectariis sese opponentes , per scomma Spenerum & asseclas ac calumnioso nomine appellasse Pietistas & heterodoxos ; omnes quæstiones & controversias ab ipsis Spenero formatas , fuisse nullius momentii , fuisse omnes ejusdem furfuris , exortas fuisse omnes ex mero odio & invidia erga tales Viros , qui studium pietatis scilicet inculcarint , & à quibus semet donis Ecclesiam ædificandi superari quam maxime intelleixerint , ideo summo odio in ipsos flagrasse &c. Quæ omnia & plura alia hic jam non recensenda ita sunt comparata , ut non solum Orthodoxi , & in Domino defuncti Theologi piissimi , quorum memoria apud omnes bonos in benedictione esse debeat , malignorum Calumniatorum titulo traducantur , totque egregia multorum in extraneis Academiis aliisque in locis summorum Virorum tanta accusatione edita in hoc negotio scripta , condemnentur , iisque injuriarum innoxiis Viris factarum nota temerario ausu inuratur ; sed etiam quod maximum est Academia ipsorum patria , quæ dudum jam orthodoxias laude inclaruit , & non Speneri saltem , sed etiam Breithauptii & aliorum in plurimis fidei articulis inconcinnas , heterodoxas & offensione plenas loquendi formulas phrases & doctrinas , non solum feliciter detexit , sed etiam censoria virgula notavit , (quam censuram ipse dissentientis

tiens & calumniator tunc temporis approbavit) eodem crimen involvatur. Quando porro in publico Scripto omnes Theologi etiam Pomeranici, dogma illud orthodoxum: quod *Bona opera non possint dici præsentia in primo actu justificationis*, propugnantes; audaci prorsus pronunciato arguuntur impietatis cujusdam erga patriam & se ipsos, & hinc tam gravem censuram mereri debuerunt, ut impii vocentur; bonis æquaque animis judicandum relinquo, quale hocce convitium sit in mortuos dudum incineratos conjectum, quod tamen à Censore & a seclis ejus hactenus notatum & reprehensum fuisse non constat. Miseritudo vero forte esset ista inusta impietatis tot bonis piisque & innoxii Viris jam defunctis facta imputatio, si non accederet censura aliquanto gravior, quando idem scripti Auctor, dogma sibi contrarium, quod nempe *Bona opera non sunt præsentia in primo actu justificationis*, pro dogmate prorsus Papistico & errore antiquæ veritati adverso venditat, a cuius amplexu dissuadendam omnino juventutem Academicam, & ut in antiqua veritate scilicet sui dogmatis constans permaneat, monendam esse duxit. Si vero desideres, quænam sit temerarii istius pronunciati & in justæ censuræ ratio? haec suppeditatur: Quoniam per propugnationem dogmatis: *Quod bona opera non sint præsentia in primo actu justificationis*, fides mottua invehatur. Egregia scilicet & Theologo orthodoxo digna ratio, qui sibi acutius quam vel Lutherus vel omnes hujus genuini hodie socii, cernere videtur, per quam vero legis & Evangelii confusio introducitur, quod alibi ostenditur. De veritate interim dogmaris vide tractatus recentissimos, nempe *Vindicias Aug. Ludolfi pro articulo de justificatione adversus Meletem Haferungii, Novatoris Wittebergenensis*; item Ejusdem *Ludolfi Considerationem responsorum à Theologis Jenensibus & Hallensibus circa controversias de illuminatione & justificatione elaboratorum*, cum Episagmate adversus Langii errorem: *Pecatum in Spiritum S. esse frequentissimum p. 6. seqq.* item *Perri Fisen gemischte Pietistische Händel p. 9. seqq.* Quid vero est piis manibus Defunctorum temere insultare, quid est umbris Defunctorum non parcere, & lingua stridula incineratos inquietare, si hoc non est? Certe quando Orthodoxi Theologi pie defuncti cum Scriptis suis ita sollicitantur, exagitantur, & in ludibrium vertuntur, quando ita Orthodoxia & Orthodoxyi temere & audacter vapulant, quando tot vitia, tot scelera, tot fraudes, tot nequitiae beatis Defunctis imputantur, ut ab Indifferentistarum hodie satore & parente Arnoldo, vix plura in orthodoxos cumulentur, atque sic orthodoxi nostri Theologi eodem numero habentur, quo sceleratissimus quisque, dum maledicta in eos conjecta, tanto sunt numero & vehementia, ut vix credideris ab

animo hominis Christiani, nedum Theologi talia proficisci potuisse: quid
 putabis de illis, qui ad gubernacula sedent, quando ad talia silent,
 eaque suo silentio probant, & hos ipsos extreme odisse occipiunt, qui
 horum Calumniatorum furoribus occurrere sustinent; ipsos vero calum-
 niatores tales, tanquam Sanctos & pacificos laudant, humaniter tractant,
 excusant? Hem de testandam hypocrisin! Quis enim non videt, præten-
 tam horum hominum justitiam & sanctitatem in manifestam abire hypo-
 crisin? sive tandem, ut B. Neumannus judicat, Sancturientem talem
 turbam, prolem semper vitiosorem parere, donec viperinum γενήμα
 Pharisæorum excludat. Videant isti homines, qua arte fieri possit, ut Le-
 ctores ipsorum calumniis atque hypocrisi quam experientiae contrariae fi-
 dem habere malint. Tantane autem incuria atque oscitantia tractantur
 officii partes, ut ne quidem, quod in oculos incurrat, cernamus? an ita
 pudorem omnem decoixerunt & consumserunt, tam rigidi Censores, ut
 in re manifesta voluntarie cæci sint, interim ex mero præjudicio & odio
 putidissime calumniari alios non vereantur? Sed forte hypocrisi suæ pie-
 tatis speciem præferentes objicient: talia ἐγκλήματα Viris orthodoxis
 objecta, nunquam ipsis fuisse audita. Verum prætextui hic non est lo-
 cus ad culpam levandam, cum hæc ἐγκλήματα dudum fuerint indicata,
 ut ignota esse nequeant, juventuti quippe Academicæ in calamum ab Au-
 tore dictitata, imo in publicis scriptis etiam relata. Et quid dicemus de
 eo, quando in publica Disputatione Dn. D. Balthasar, ex juvenili impe-
 tu, beato Doctori & Professori Theologiae Celeberrimo, Rangoni, immor-
 taliter etiam de Ecclesia merito, qui pro veritate divina pure, illibate
 & incorrupte proponenda & acriter defendenda sedulo semper laboravit,
 hoc pro turpi crimine objectat, incusans eundem, quod insatiabili pruritu
 litigandi aliosque innocentissimos Viros heterodoxias arguendi flagrave-
 rit, plura quoque ad famam ejus minuendam in Historia sua Pomeranica
 congerens, procaciterque B. Viri memorie per malevolentissimas obtre-
 stationes illudens? Qua fide enim egerit Dn. Auctor in scripto compilan-
 do, vel ex putidissimo mendacio constare potest, quando afferit; Dn.
 Sacerorum suum nempe D. Gebhardi noluisse officium illud Generalis Su-
 perintendentis, quo sub imperio Danico in Pomerania functus erat, diu-
 tius retinere, quam ad tempus, quo Pomerania Danis subjecta esset; li-
 bentissimo dehinc animo officium suum tradidisse Dn. D. Krakevitzio.
 Quod vero quam sit à veritate alienissimum, inter alias circumstantias
 notissimas, adparet ex supplice libello, quem Dn. D. Gebhardi post mu-
 tatum imperium Danicum, Illustrissimo Regimini Suecico Stralesundi
 obtu-

obtulit, ubi verba ultima, quibus commovere voluit Illusterrimum Regimen, ut pro ipso intercedat, ne Dn. D: Krakevitzio officio suo cedere cogatur, ita Germanice sonant: Er würde, wenn Er nicht solte bey der Superintendentur behahalten werden, mit denen seinigen ganz ruiniret seyn, wäre schon 33 Jahr Professor gewesen und gieng almählig zum Grabe ic. Non majori etiam candore versatum per omnia fuisse Dn. Auctorem in exponenda vita B. Rangonis, cui libet legenti obvium. Qui sane obtrectator impudens, in parte quadam felicitatis suæ potius reputare deberet, si ipsi adhuc contingere posset esse tam felici, ut ad pedes tanti Gamalielis sedere, & ex ore doctissimo puram & sanam doctrinam capere ipsi licitum foret, quam ut male dictis eum laceraret & figeret, & nimium contentionis studium ipsi objiciens, fædissimis convitiis, quo famæ ejus detraheret, ex livore proscinderet. Tales obtrectationes ex malo affectu magno numero congregatas amarissimas, cum quilibet vel apud Auctorem ipsum legere possit, vel etiam in scripto publice edito, in quo fama trium pie in DEO defunctorum Theologorum B. Rangonis, B. Mayeri & B. Wurffelii adversus Cavillationes Balthasareanas defenditur: mirandum maximopere est, istam pertulantiam juvenilem prorsus inultam & impunitam fuisse dimissam ab iis, quibus pro officiorum incubit, ut Antecessorum suorum & Virorum optime de Ecclesia Pomeranica meritorum famam, à pertulantissimis infestationibus vindicent, cum alias Leonibus mortuis vel timidi insultare possint. Sed cum forte aliorum quorum laudibus nimium favemus gesta, toties per publica judiciorum decreta, unanimibus sententiarum suffragiis, ab idoneis rerum æstimatoribus jurisque peritissimis Viris, pro injustis & perperam factis, legibusque difformibus, in publicis Scriptis jam declarata & judicialiter convicta, nude saltem recensentur & allegantur tanquam res judicatae, pro tanto hoc reputatus criminis, mortuis & incineratis impacto tamque nefario ausu, ac si ipse Lucifer nunquam auderet tam tetra & abominanda conyitia in aliquem jaculari, nihilque impurius ex inferni fauibus, tota furiarum cohors exhalare posset. Merito autem exponi debuisset, in quonam specialitet consistat illud tam execrandum tam detestabile facinus & maliloquium, quo *umbria defunctorum non parcit* dicitur, ne fucus fieri ignaris videatur, & sapientes credant, Censorem vel à sopore fuisse oppressum, vel ratione destitutum, aut insignem stuporem hic simulari. Non accusatoris sane ingenio res judicatur, extent oportet expressa tanti criminis & horrendi convitii vestigia, ubi, qua ratione, quo tempore maleficium sit commissum; nec sufficit, ut accusator ample boatu ad accusandum assurgat, atque Gentilium in momen-

rem omnes Dæmones ad vindictam provocet ; nota enim sunt Gentilium
 crimina , quippe qui doctrinæ Christianæ assertores & Vindices , omnium
 calamitatum causas allegabant , Deosque ac Deas omnes poscebant Vin-
 dices , ad religionem Christianam penitus extirpandam . Juxta Ciceronem
 merito postulatur ab omnibus , ut ab iis se abstineant maxime vitiis , in-
 „ quibus alterum reprehendunt . Maleficum quendam si adduxeris , aut
 „ crudelem , cavendum erit semper , ne qua in re asperior , aut inhumanis
 „ or fuisse videare . Calumniatorem & Convictatorem si accusaveris , pro-
 videndum diligenter , ne ipse in hac pice hæreas ad collum usque , aut pe-
 nitus immersus sis ; omnia postremo , quæ reprehenderis in altero , tibi ipsi
 vehementer fugienda . Etenim iuxta Ciceronem non modo accusator , sed
 ne objurgator quidem ferendus est , qui quod in altero vitium reprehendit , in eo ipse
 deprehenditur ; Cognosce , inquit , in Orat . IV . in Q . Cæciliūm Divinatio dicta p .
 m . 66 . quam multa esse oporteat in eo , qui alterum accusat , ex quibus si unum ali-
 quod in te cognoveris ; Ego jam tibi ipse istud , quod expertis , mea voluntate concedam :
 primum integratem atque innocentiam singularem , nil enim est , quod minus feren-
 dum , quam nationem ab altero vitæ reposcere eum qui non possit suæ reddere ; Et alibi
 idem Cicero ab atrocitate accusandi dehortatur his verbis : In hac cau-
 sa accusandi , tuam prudentiam desidero , quod homo cum sis , tam ingenio quam etiam
 doctrina excellens , genus tamen hoc causa quod esset , non videris : arguis ; non est fa-
 cis , accusas , eum , qui causam habet , aut meliorem quam tu , aut parem . Hec
 non modo mirabilia , sed prodigiis similia . Non habet eam vim tua accusatio , ut
 reus condemnetur aut necetur . Externi hi mores sunt , usque ad sanguinem inei-
 sare solent odium aut levium Græcorum , aut immanum barbarorum ; Nam quid
 aliud agis , quam ut in loco non maneat reus ? ut domo careat ? ne cum optimis tra-
 vis fratribus , ne cum avunculis tuis , ne cum consobrinis tuis , nec vobiscum vivat ?
 ne sit in patria . Non autem tu hunc patria solum privare vis , sed & vita . At
 istud ne apud eum quidem Dictatorem , qui omnes quos oderat , multabat morte ,
 quisquam egit isto modo ; ipse jubebat occidi , nullo postulante , que tamen crudeli-
 tas aliquot annis post , est vindicata . Et mox : Canes aluntur in capitolio , ne
 significant , si fures venerint . Quod si quoque canes luce latrent , cum Deos salu-
 tatum aliqui venerint , opinor iis crura suffringantur , quod acres sint etiam tum-
 cum suspicio nulla sit . Simillima est accusatorum ratio ; alii vestrum anseres sunt ,
 qui tantummodo clamant , alii canes qui & latrare & mordere possunt . Cibaria
 vobis præberi videmus . Vos autem maxime debetis in eos imperum facere qui
 merentur , hoc populo gratissimum . Deinde si voletis etiam tum , cum ves-
 risimile est aliquem commisso , in suspicione latrato te . id quoque concedi potest . Vid .
 Cicer , Opera in Orat . II . pro Sext . Rostio Amerino . p . m . 31 . Nempe Cicer do-
 cet ,

cet, omnes accusatores se abstinerere debent ab iis vitiis, in quibus alterum reprehendunt; Hoc si accusator temerarius attendisset, ab accusatione tam gravi in punto calumniarum & convitiorum abstinuisse, ad minimum cautius convitium sparsisset, & accusationis virulentiam temperasset; nam nihil haec tenus scripsit, aut egit, ubi non ipse commissum convitii maleficum, quod aliis nefario ausu affricat, in se ipso reperiri ostendat luculentissime, ita ut non solum singularis audacia appareat in ipso, & criminandi socio, sed etiam, ut cum Cicerone loquar, summus suror atque amentia, Quæ enim quælo! audacia est, innocentem & plane immerentem per literas clandestinas ad aulam deferre, ut hominem perditissimum, eo fine, ut, quando falsum crimen quasi venenatum aliquod telum fuerit jactum, saltem Magnatum odium erga ipsum incitetur; quæ hæc est callida & malitiosa jurium interpretatio & applicatio! quæ hæc est justitia in jure civili præscripta, aut lege naturæ, communique jure Gentium sancta? In scriptis suis contumeliosissime in aliquem invehi, & animo inverecundo pessimeque ac impudentissime convitiis aliquem configere, & verberare tanquam hominem turbidum & inquietum Hæreticem, contra quem preces dirigenda, ut ab eo res publica liberetur. O detestandam calumniam ejus, qui Satanæ furiis agitatus & concitatus ad omnes affectus impetu rapitur, impiaque consilia super cubili nefarie excogitata, impotentius etiam in eo exequi studet! ut maledici Convitiatoris notam alteri inurat, cum ipse sane arte cavillandi eo usque emineat, ut nihil sit de decoro isto detestabilius. Neque enim calumniarum adhuc est finis, perjurii crimine etiam innocentes erant accusandi, quia *juris iurandi religionem parvi babere dicuntur, illamque violent, quories lubet.* Nescio vero an hæc improbe magis quam imperite scribantur; certe atrox à Censore inferatur injuria innocentibus, nunc quidem non tam contemtu, quam ineptiarum in quas calumniandi libido se induit, miseratione vindicanda. Sed tuam, qui talia scribis, maximopere etiam atque etiam obsecro & obtestor conscientiam, annon sentis ipse internum hic accusatorem, stimulum pungentem, & mordentem canem; nunquam tam alte ullius conscientia sopita esse solet, quineorum, quæ perperam fecit, aculeos sentiat. Salutem publicam supremam legem esse debere, frequenter multi in ore habent & calamo; huic privatam salutem multis parasangis esse postponendam, omnes norunt, & juramento etiam semet obstrinxerunt, quod nunquam aliquid velint tam eniti, quam publica commoda promovere, alta voce confirmarunt, se quicquid in officio suscepserint, id omne boni publici causa se suscepturos esse; tantum abesse debere, ut aliquam bonam

gratiam apud hunc vel illum sibi quæsivisse videri velint, ut multas etiam similitates partim obscuras partim apertas bono publico tamen non inutilles sed proficuas suscipere promptissimi esse velint, siquidem Clementissimi Regis in omnibus voluntatem, Reipublicæ tam sacræ quam civilis dignitatem & emolumentum, adeoque boni publici, omniumque qui ei præficiuntur, salutem, omnibus comodis propriis & rationibus præferre oportet. Verum cogitent illi, qua ratione jurijurando satisfecerint, qui cum ex mandato Serenissimi eo enitis summa ope debuerunt, ut in locum demortuorum ii qui dignissimi essent commendando surrogarentur & sufficerentur, imprimis propriæ famæ & existimationis, suæ avaritiæ, suæque novæ dominationis stabiliendæ, parum vero vel nihil omnino boni publici rationem habendam esse censuerunt; qui id præcipue sibi negotii datum esse credunt, ut in Collegiis potentia, dominatio & imperio super alios emineant, generis vetustatem & familiæ amplitudinem conservent, quamvis sæpe Nepotes & alii, quos sufficiendos prædighioribus quærunt, indignissimi sint tali officio, ita ut per dies vitæ quandoque nullum capacitis suæ specimen edant, morbum etiam quando se Viros exhibere pro officii ratione debent mentientes, quod adeo verum, ut inter omnes in tota provincia Sapientes constet, publicum hac ratione non semel fuisse defraudatum. Ego vero totus horreo & contremisco, quando considero dari homines, qui prædicta mente à spiritu mendacii seducti, Viros bonos nihil præter publicum commodum quærentes violati jurisjurandi temere insimulare non erubescunt: cum tamen ipsi mente à Diabolo fascinati, omnia ad suam & suorum utilitatem referunt, fidem juramenti quo se DEO & publico adstrinxerunt sæpe decoquentes, idque unice spectantes, quod tum suis tum suorum rationibus putant conducere, parum solliciti quomodo consulatur saluti publicæ, utrum digni an indigni sint, qui in locum Defunctorum succedunt, utrum dona ad officium tale requisita, per præscripta à Serenissimo specimina edenda satis sint explorata, nec ne modo habeant, qui suarum partium sint, ut hac ratione fastum, insolentiam & superbiam contra renitentes & ipsorum actiones detestantes eo potentius exercere, siveque validiores esse possint ad opprimendos, vel sub specioso titulo ab officio removendos innocentes, quos ad suas partes una cum aliis pertrahere vel juxta voluntatem suam flectere nequeunt, sive injecto metu non præstiti laboris debiti, sive proposita etiam spe majoris delectationis, utilitatis, honoris & intimioris amicitiae. Cogitent etiam illi, annon jusjurandum aperte violent, qui religioni sibi non ducunt, legibus & statutis, apertissimis & clarissimis verbis supremi Legislatoris conceptis,

conceptis, & per longiorem observantiam & usum diuturnum conformatis contravenire, novaque interpretatione nunc denum sensum legis, qui clarissimus, pro lubitu, & pro intolerabili aliis fastu & insolentia restringere, cum tamen ipsimet, (testem provoco ipsorum conscientiam) olim proprio exemplo non simplici vice, legem claram & perspicuam confirmarent. Quæ vero est hæc arrogans animi nimia opinione inflati de se persuasio? Sane simica conscientiæ his supereret, ut vel tantillum jurisjurandi religione tangerentur, non ita animi vanitati dediti levitatem prodarent. Videant vero isti, qui, cum pro auctoritate qua valent, & sancto officio quod gerunt, debebant & poterant audacter & familiariter alios munere sui officii, ut jurisjurandi memores, severe fancitam legem strenue servarent, non solum id non faciunt, sed etiam ipsis novam interpretationem si non suppeditent, tamen approbant, sicque in favorem unius alteriusve, legem quantum in ipsis est, evertere vel perfringere, animosque jam supra modum intumescentes, & magna sui aestimatione turgidos, ad superbiam magis extollere conantur, & si verum fateri fas est, novarum litium & turbarum hac ratione auctores existunt, quicquid etiam glorientur, & videri velint, se anxiis suspiriis nil nisi pacem & concordiam anheleare, ad eamque restituendam litesque omnes extinguendas & funditus tollendas enixissime laborare. Cogitent, annon ipsis salutem publicam, quam ut supremam legem sibi semper ante oculos versari ample, sed falso ore crepat, negligant potius, dum non pro virili id omne, quod in ipsis est, impendunt, ut ii, qui suam eruditionem præclaram, editis egregiis speciminiibus, omnibus testatam dederunt, soli ex mandato & voluntate Serenissimi Regis ad honores & dignitates evehantur, cæteris nondum digne & recte exploratis, voluntati quoque Regis exesse satisfacere renuentibus, rejectis & postpositis. Putantne alias, quibus salus publica curæ cordique est, esse tam bardos & stupidos, ut hypocrisim detestandam, & omnibus ingenuis abominabilem, qua DEO & Regi illuditur, non animadvertant? Quis adeo simplex & credulus foret, ut fucatam istam & pictam pietatem, qua tales cujuslibet rei simulatores & dissimulatores, diu haftenus orbi imposuerunt, non perspiceret, cum pietas illa simulata tandem μόρφωσιν suam & speciem non retinet? Hæc omnia autem satis testantur, quid boni & justi inesse possit ejusmodi Censoribus cum suis complicibus, quando ejusmodi scripta convitiis & calumniis refertissima in dias lumenis auras exire faciunt. Si enim cum Collegis præsentibus, & Viris quorum candor & innocentia dudum apud omnes bonos innotuit, ita agitur, quomodo existimandum est agi cum extraneis, absentibus, mortuis, &

& qui defendere se amplius non possunt? Exemplum triste nobis sicut in-
comparabilis ille & de Ecclesia Pomeranica meritissimus atque à veritatis
amore & non fucatae pietatis studio omnibus pergratus & acceptus B. Ran-
go, qui post pia fata etiam effugere non potuit, quin præter meritum acri
& mordaci stylo exagitaretur, & mendacissimis calumniis proscinderetur.
Quæ cogitatio etiam me movet, ut penitus in animum inducam, non cre-
dere Sanctulis nostris modernis & Justitiariis, quantamcunque etiam pie-
tatem & justitiam præ se ferant, quantaque religione etiam candorem &
conscientiæ integritatem semper prætexant. Movet me hæc cogitatio,
ut doleam vias eorum, qui ex peregrinis locis huc veniunt ad repetendum
jus; Si enim ita agitur in incolarum rebus & causis manifestis, in quibus
etiam ab extraneo Judice jam dudum judicium factum ex amissim est, ut
nihilominus, misericordia erga personas miseris & omni humanitate
exuta, istæ proferantur eo usque, donec pars læsa tædio sumtuum impen-
dendorum & molestiarum devorandarum defatigata, cogatur justitio lon-
giore non inhibito de jure suo decedere; quomodo agi sæpe existiman-
dum in causis eorum, qui aliunde veniunt ad jus adipiscendum, quo pacto
ibi semper ex æquo & bono jus administrari censendum? Plura jam non
addo, quod tamen in proclivi esset, nisi illius saltem mentionem etiam
obiter hic iniijiciam, quod ridiculi isti & infelices virtutis alienæ æstimate-
res eo etiam stultitiae progrediantur & prolabantur, ut non solum qui ve-
tus ille Diaboli coccynus est, quicquid impietatis, vitii, turbarum hic vel
ibi suboritur, aliis, qui suarum partium non sunt, adscribant, sed etiam,
quæ sunt ipsorum & sodalium blandæ persuasiones, sibi soli videntur sapi-
entes & scientes, unde est, quod in scriptis ipsorum aliis vilitatem ab igno-
rantia & aπειρᾳ quam utramque ipsis exprobrant, false satisimo importu-
ne ac proterve objectam animadvertamus; quo ipso denuo apertis indi-
ciis produnt, quod lingua & oculis à solertiſſimo illo mille insidiarum ar-
chitecto ſint fascinati, dum tenebris intellectus circumfusi, propriam
turitudinem non agnoscunt; nempe aliis impudentius per scemma & ex
mero calumniandi studio objiciunt ignorantiam & incitiam, nullo tamen
testimonio probatam; cum tamen ipsis recogitare deberent, dudum jam
in publicis scriptis, ipsis suam incitiam non solum binis vicibus objectam,
sed apodicticis etiam argumentis demonstratam esse, (de quo vide Dn.
D. Ern. Joach. Westphalij de fatis atq; usu Studij juris feudalij in Germania meditati-
onem practicam pag. 56. Nec non Tractatum de Juris Romani indele & obligan-
di diversaratione & dignitate in foris apud Romanos & Germanos p. 137.) ut nihil,
quamvis sibi excellenti & singulari scientia ſe omnes anteire videantur, re-
pone-

ponere habeant, adeo enim ipsis ruditas & in historia juris ignorantia est ob oculos posita, ut provocati licet, æternum tamen silentium tenere necesse habeant. Et nihilominus non verentur alios, præ indignatione animi, ob ignorantiam suam scilicet, increpare, & fallissimis criminacionibus aliisque acerbissimis insectationibus illos laceſſere, atque ipsis, neſcio, an improbe magis quam imperite ſimul objicere, quod inutilia atque ad professionem nihil ſpectantia, nullumque uſum habentia, tractent. Quod si vero iſti homines tempus illud, quod in ſimeto quorundam Veterum Scriptorum unice conuiderunt, bonorum Auctorum, imprimis recentiorum lectioni tribuiffent, imo vel ſolis rerum novarum eruditarum Codicillis legendis aliquid temporis darent, & ſic ultra Bartoli & Baldi, aliorumque quorundam antiquissimorum Scriptorum ſancita & iſtituta, in ſtudiis ſaperent, nec in ſuo appetato MScTo à Majoribus accepto, omnem eruditionem includi inepte & ridicule putarent, omneque illud, quod à concepta ſuarum opinionum formula alienum eſt, repudiarent, atque ut inutile rejecerent obnoxii ingenii homines, non ita profecto modernis & peritissimis rerum & eruditionis æſtimatoribus, turpiter ſe darent. Sed his hominibus nimia ſui opinione inflatis & tumidis nemo eſt ſciens, nemo ſanctus, qui Syrracticis ipsorum molitionibus & conatibus ſe opponit. Ex caelo vero ſcicet ipſi eruditи ſunt, & gradibus perfectioni beatorum proximis inclyti, qui ideo ex ludibrio vanitatis vituperant alios. Quis vero tandem cum tantis gradibus ſanctitatis & scientiæ, quibus ſuperbire ſeu humiles eſſe intendunt, ſe componet, quando omnes alios præ ſe contemnunt eosque ſugillant, tanquam impios rudes & rerum imperitos? Quasi vero adeo robusta in ſua professione eruditione & ſcientia polleant, ut in toto literato orbe omnibus jam, quales quantique ſint, palam oſtenderint, qui omnium Eruditorum ore jam jacentur, ac ſi profunda eruditionis copia, in ſua professione nulos habeant pares, quales vix aliquot ſecula tulerint Viros. Quod igitur felix faustumque ſit, expectabimus ab ingeniis Virorum tam Sapientum & profunde Doctorum ſolidum Juris prudentiæ Systema, iis doctrinis innixum & principiis, quæ ſufficere arbitrantur ut ad ſolidam juris ſcientiam perveniatur, quo diſcamus, quænam ſit illa una atque altera disciplina, quæ ſtudio juris adminiculum præſtare ei que adjungi vel præmitti debeat; quænam vero e contra ſint ad ſtudium juris prorsus inutilia, ut ea juris Cultores evitare diſcant. Sed Omnes Seculi & Sanctulorum atque ſciolorum talium moleſtos! Præter imus vero nunc alia hinc inde in literis & scriptis, quæ cavillis artibus & criminacionibus ſunt impleta, objecta Viris bonis probra & maledicta, quibus ſeipſos reddunt mirabiles & ridiculos; cum putamus hæc ſufficere poſſe,

D

ut

ut Scripturientium ejusmodi calamus quodammodo coercentur & dicacum loquacitas refrenetur, modo paulo diligentius expendere vellent, quam omnem pene exuerint humanitatem, omnem deposuerint Christiano pectore dignam charitatem, quando in innocentibus, à quibus nullis impulsi inimicitii, nulla privatim læsi injuria, ita in suis scriptis sarcastico stylo concinnatis debacchantur. Tantum vero abest, ut veræ paci cum DEo consequendæ, viam sese aperuisse credi possit, ut potius magnam fenestrā nequitia & bipatentes portas calumniatoribus & Convitiatoribus aperuerint, & plura atque innumera hic dederint hypocriseos documenta, quibus suave pietatis & pacis nomen prætextitur. Ipsi quidem videri volunt, ac si strenui sint Vindices famæ & existimationis pie Defunctorum; Cum tamen alibi eos fovent, & ut Sanctos usque in cœlum extollunt, qui in famam Doctorum in cœlis triumphantium & optime de Ecclesia Christi olim meritorum, & adhuc merentium, grasiari, sanctosque istorum cineres contaminare eosque tepiditatis in Christianismo promovendo arguere, temerario ausu sustinuerunt; interim præjudicio misere fascinati, quo ipsis vera videntur falsa & bona mala, quacunque occasione, quasi ad hoc conducti, & ad oram maris Balthici quasi constituti inquisitores & malorum morum Observatores juriumque Statores, revera Eversores, omnes Ecclesiæ causam sedulo agentes, ex pruritu gloriolam sibi acquirendi, aculeatis suis scriptis pungunt & dilacerant; quidistis conatibus fingi possit indignus, bonis æquisque mentibus judicandum relinquo. Illud vero jam præteribo, quod jurisjuriandi violationem innoxiis Viris objectam in eo etiam querunt, quod scilicet admonitiones & reprehensiones Superiorum admittere nolint. Miror sane quando Dn. Censor non cautius convitia spargere didicit; aliis imputat falso crimen inobedientiæ, quo admonitiones & reprehensiones omnes ab ipsis sperti contumeliose adserit, qui tamen nullius ferre criminis magis reus est; quando non desinit, rejectis & spretis tot Supremi Magistratus Interdictis & Rescriptis non simplici vice iteratis, de vitanda in sermone & scriptis omni dicacitate, voces contumeliosas ubique spargere & eructare; cum interim adversarium suum, quem sibi elegit, nullius talismodi criminis ex vero arguere possit. Talis enim obedientiæ denegatio, quæ datur in rebus, quando injusta desiderantur, & quæ juribus aliorum contraria sunt, cum jurisjurandi violatione nil commune habet, nec ad peccatum accedit, sed illa quæ alteri scribitur hinc dica, ad fædissimam calumniam accedit, vel potius quanta quanta est, mera calumnia est. Non possum quin Censori hic susurrem in aures

pro-

propria ipsius verba, quæ exstant in Disp. de pœnis Hæreticorum p. 10. & ita habent : *Qui, Accusatoris vel Delatoris munere fungi cupit, prius bene perpendat L. 25. C. de probat. Ibi, sciant cuncti Accusatores, eam rem se in publicum deferre debere, quæ sit munita apertissimis documentis vel indiciis ad probationem indubitatis & luce clarioribus expedita.* Nam si quis innocentem vel deferat vel accuset, præterquam, quod ad restitutionem honoris, famæ, sumtuum & damnum condemnandus sit, etiam extra ordinem, velut calumniator puniri potest. Hæc verba si Dn Censor penitus animo volutasset, nunquam ita hactenus frustra laborasset, ut cumulando ubique tot falsa ἐγκλήματα omniaque Ca-villis ac criminibus implendo, Viros bonos & veritatis Defensores veræque pacis cum DEo & conscientia amantes ab instituta veritatis defen-sione deterrere præsumeret, si quidem omnes isti conatus sunt irriti, si vel mille plausta ejusmodi convitiis onerare & in eos effundere vellet. Quare ultimo Censori illud reponendum quod Cicero in Orat. pro Ligario p. m. 809. ad Senatum dicit : Vos parvistis, cum paruit nemo. Re-prehendo igitur ? Minime. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ ; sed hoc non concedo, ut quibus rebus glo-riemini vobis, easdem in aliis reprehendatis. Ipsi interim pii & boni, quando considerant, quæ fata semper vere pios exercuerunt, non duri-ter & ægre ferunt, quando Sannionum & Calumniarorum morsus adeo effugere non possunt, quin coangustari se ab illis & premi nonnunquam videant : illud semper hactenus veri DEi Cultores experti sunt, sed inde non statim commoventur, ita ut justo acerbius ipsis succenseant ; sed potius ingenue eos hortantur, ne, si forte commoti sunt, illico immani-ter debacchentur ; aut, ubi super cubili nefaria consilia excogitarint, ea impotentiis exsequantur, sed justitiam colant, DEumque ut par est, re vereantur. Tandem dicacitate ipsorum notata, in DEo justissimo re-rum Judice & integritate conscientiæ, omne perfugium, omneque su-um querunt solatium, atque hinc pacem & animi tranquillitatem unice sibi pollicentur, parum curantes istorum hominum criminaciones atque insectationes, à quibus maledico ore, ut pacis turbatores & turbulenti homines traducuntur, qui tamen ipsi nil aliud agunt, quam ut tranquil-litatem Collegii, in quo sunt, turbent, & affectibus occœcati, consilia corde structa, in perniciem illorum, qui ipsorum partibus, ex ser-vili ingenio, cum aliis, ad servitutem pronis animis, addicti non sunt, dirigant, Sapientiorum judicia justa nihil attendentes. Evidem quia sibi solis Sancti & scientes videntur, ideo omnia sua consilia DEo placere putant ; sed evilescit merito, apud probos & à partium studio alienos, &

& passim contemtui est, quod in talium hominum oculis sanctum & justum. Agnoscite hoc, qui vobis videmini tot gradibus pietatis incliti. Agnoscite πρόνοιαν DEi circa Dilectos suos admirabilem; percipite quod vobis absolum. Quos fastiditis & tanquam purgamenta hujus mundi, & omnium peripsema blasphematis, eos in sinu DEus fovet. Jeremias maledicebat omnes C. XV, 10. qui tamen erat Dilectus DEi. Protegit DEus, quos ejectos, & omnibus honoribus privatos atque ad Garamantes relegatos vultis. Cum Davide vobis acclamat Ps. LXII, v. 4, *Quo-
usque irruit in hominem, & insidiamenti omnes Viro ut interficiatis, quasi parie-
tem inclinatum & maceriam impulsam.* Profecto de tollendo eo consultant, delectantur mendacio, ore suo benedicunt, sed corde maledicunt; Verum DEo sub-
iecta anima mea, quoniam ab ipso patientia mea; profecto ipse est petra mea, &
salus mea, & refugium meum. Et ex Ps. XXXV, 15. seqq. *Adversum me la-
tati sunt & convenerunt, congregati sunt contra me Claudi, cum tamen ego mibi
non sum conscius; Lacerant & non quiescunt; cum Hypocritis subsannarunt me,
subsannatione, frenduerunt super me dentibus. Domine tu me respicies. Nec non
ex Ps. CXL, v. 1-9. Eripe me Domine ab homine malo &c. cogitarunt supplanta-
re gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi &c. DEus meus es, Domine,
virtus salutis mea &c.* Agnoscite hoc, DEus ornat, quos ut humiles & sordidos concul-
cati; cum proscinduntur convitiis, lato & tranquillo animo exultant, & vel in inferno fibi
caelum paratum inveniunt. *Hac est gratia apud DEum, si quis propter conscientiam suffert con-
tumeliam, & prater meritum affatus est malis.* Evidem mundus claros & longos natales ge-
nusque & proavos requirit. Nam audias, quod in ore sepe habeant Majorum stemmata, & inde
se jacitent, quod ex ampla familia nati; hinc Psalmista Ps. XLIX, 12. seq. *Internum eorum, do-
minus eorum in aeternum, & tabernacula sua a generatione in generationem, & celebria reddunt
nomina sua super terram, sed robur eorum putrescit, infernus erit habitaculum ipsorum.* Ni-
mirum DEus claros Natales non semper in numerato habet. Jeremias ex Anathot prodierat, sub-
urbana quadam Sacerdotum villa. Amos ex Bubulco Propheta factus. *Qui sicut Dominus DEus
noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in celo & in terra, suscitans e terra inopem
& estercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.* Ps.
CXIII, 5. 8. Multorum ergo gloria nihil detraxit, quod Parentibus cum vilissimæ artis hominibus,
tum ipsis etiam Colonis prognati fuerint, eo ipso admirabiles visi, quod illustriori DEi gratia à
Vulgo fuerint segregati. Nimirum illa persuasio & animi Elatio, qua super alios eminere gesti-
unt alii, præstigiae sunt, quas fraudum & nequitiarum Architectus, pro calliditate & impostura
sua struit hominibus, ut incautos & imperitos decipiatur. Versuta igitur consilia Diaboli disca-
mus & fugiamus, sic pax restituatur; cur enim non consociarentur, atque inter se concordes coi-
rent illi, qui iisdem legibus devincti tenentur? Utinam ii, qui possunt, omnem auctoritatem
conferrent ad Collegas & socios in fraterna concordia perpetuo continendos! Fiet hoc, ut pax amil-
la restituatur, si tumultuum Auctores libidinem dominandi & super alios eminendi, iisque impe-
randi, refrent & compescant, cum æqualibus ita vivere incipient, ut idem omnium sit consen-
sus, & inviolata maneat cujusque jura, sartaque & tecta servetur libertas, iracundia mitigetur,
qua inimica consilio & rectæ rationi; Denique si turbatores pacis, utilitatibus publicis postpo-
nant suos affectus, compescant iracundia & cupiditatem, qua nihil in corporibus humanis ve-
hementius, quod pacem ægtius patiatur.




[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn815699301/phys_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815699301/phys_0031)

DFG

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn815699301/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815699301/phys_0032)

DFG



... 25 ...

eo enim ipsis ruditas & in historia juris ignorantia est
ut provocati licet, æternum tamen silentium tenere
nihilominus non verentur alios, præ indignatione
iam suam scilicet, increpare, & falsissimis criminatio-
nibus infectionibus illos laceſſere , atque ipsis, ne-
agis quam imperite ſimul objicere, quod inutilia atque
nil ſpectantia, nullumque uſum habentia , tractent.
mnes tempus illud, quod in ſimeto quorundam Vete-
nice conuiderunt, bonorum Auctorum, imprimis
ni tribuiffent, imo vel ſolis rerum novarum erudita-
ndis aliquid temporis darent, & ſic ultra Bartoli & Bal-
rundam antiquiſſimorum Scriptorum ſancita & iſti-
uent, nec in ſuo appetatu MſCto à Majoribus accepto,
ni includi inepte & ridicule putarent, omneque illud,
arum opinionum formula alienum eſt, repudiarent,
cerent obnoxii ingenii homines, non ita profecto mo-
rerum & eruditioñis æſtimatoribus, turpiter ſe darent.
imia ſui opinione inflatis & tumidis nemo eſt ſciens,
yrracticis ipsorum molitionibus & conatibus ſe oppo-
ſitilicet ipſi eruditſi ſunt, & gradibus perfectioni beato-
ti, qui ideo ex ludibrio vanitatis vituperant alios. Quis
ntis gradibus ſanctitatis & ſcientiæ, quibus ſuperbire
endunt, ſe componet, quando omnes alios præ ſe con-
gillant, tanquam impios rudes & rerum imperitos?
ouſta in ſua professione eruditioñe & ſcientia polleant,
rbe omnibus jam, quales quantique ſint, palam oſten-
n Eruditorum ore jam jacentur, ac ſi profunda erudi-
professione nulos habeant pares, quales vix aliquot
s. Quod igitur felix faustumque ſit, expectabimus
tam Sapientum & profunde Doctorum ſolidum Juris-
iis doctrinis innixum & principiis, quæ ſufficere arbit-
rii ſcientiam perveniatur, quo diſcamus, quænam
era disciplina, quæ ſtudio juris adminiculum præſtare
ræmitti debeat; quænam vero e contra ſint ad ſtu-
dilia, ut ea juris Cultores evitare diſcant. Sed Omo-
lorum atque ſciolorum talium moleſtos! Præter imus
inde in literis & scriptis, quæ cavillis artibus & crimi-
nibus, objecta Viris bonis probra & maledicta, quibus
rabiles & ridiculos; cum putamus hæc ſufficere poſſe,

D

ut